

**Ordinis medici H.T. Decani Georg. Gottlob Richteri D. ... Ad dignissimi
medicinae candidati Davidis Christophori Schobingeri ... Disputationem
solemnem de dignitate telae cellulosae in fabrica corporis humani publice
die XVIII. Maii a. s. MDCCXLVIII. ... cui conjecturae quaedam praemittuntur
de duplici novo inflammationum exitu rigescendo et desquamando.**

Contributors

Richter, Georg Gottlob, 1694-1773.
Universität Göttingen.

Publication/Creation

Gottingae : Typis Abram Vandenhoeck, acad. typogr, [1748]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/p9apa3dp>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

ORDINIS MEDICI H. T. DECANI

GEORG. GOTTLOB RICHTERI D.

PROFESSORIS MEDICINAE PRIMARI
CONSILIARII AVLAE ET ARCHIATRI REGII

AD

DIGNISSIMI MEDICINAE CANDIDATI

DAVIDIS CHRISTOPHORI SCHOBINGERI

S. GALLO HELVETI

DISPUTATIONEM SOLEMNEM

DE

DIGNITATE TELAE CELLVLOSAE
IN FABRICA CORPORIS HUMANI

PUBLICE

DIE XVIII MAII A. S. MDCCCXLVIII
H. L. Q. C.

HABENDAM

INVITATIO

CVI

CONIECTURAE QVAEDAM PRAEMITTUNTUR
DE DVPLICI NOVO

INFLAMMATIONVM EXITV
RIGESCENDO ET DESQVAMANDO.



GOTTINGAE, TYPIS ABRAM VANDENHOECK, ACAD. TYPOGR.




THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY
1215 EAST 58TH STREET
CHICAGO, ILL. 60637

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY
1215 EAST 58TH STREET
CHICAGO, ILL. 60637

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY
1215 EAST 58TH STREET
CHICAGO, ILL. 60637

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY
1215 EAST 58TH STREET
CHICAGO, ILL. 60637

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY
1215 EAST 58TH STREET
CHICAGO, ILL. 60637



Telam cellulofam, qua Natura omnes corporis partes, vt maiorem iis oleo fuo lubricante & constantiorem mobilitatem conciliet, mirabili artificio & attentos veterum oculos propemodum fugiente, tanquam tot vaginis inueſtit, hac diſputatione, quae publicae cenſurae iam ſubiicitur, in occultioribus ſuis reſſibus operoſius indagatam, hodie vt praecipuam omnis inflammationis, & quae huius ſoboles eſt, ſupurationis & gangraenae ſedem merito conſideramus. Ad quae dum praefari nonnulla animus eſt, haud mihi in argumento multum alieno verſari videor, ſi a ſede inflammationis ad eius indolem, in quibusdam adhuc momentis latentiorem, pauliſper reſpiciam, ei inprimis quaefſtioni intentus, an ſingulos inflammationis exitus partitiſ recentiorum iuſto ſatis limite diſcernat, nec alios reperire liceat, quin ſub iisdem commode contineantur?

Quidquid inflammationum eſt, triplex conſideratio obſtructi vaſis, ſtagnantis in eo fluidi, & noui ſanguinis ad illa loca a corde ruentis, omne illud, quod

imminet, morbosae mutationis momentum haud obscuris indiciis discriminat. Neceſſe eſt, niſi benigna reſolutio circuitum humorum etiam in parte inflammata ad legem vniuerſi corporis ita reſtituit, vt vaſa antea imperuia iam pateant, liquida in iis antea ſtagnantia iam permeent, & vtrinque, ſi quid vitii contractum fuit, ſine vltiori functionum laeſione deletum ſit: neceſſe tunc vtique eſt, negato hoc Naturae vel artis praefidio duplicem in loco inflammationis cladem impendere. Motus enim vitalis, qui in illud circuitus ſui obſtaculum, quod extra ſpem reſolutionis eſſe poſuimus, ſub omni nouo cordis expellentis molimine agit, vel fortiori impetu rumpit obſtructorum vaſorum latera & contentos humores effundit, vel languidiori actione nec ſoluit nec rumpit, ſed ad proximas, quae patent, vias declinans ſuam ſibi rem habere laboranti parti permittit. Nemo non videt, in priori caſu, nunc ſuppurationem oriri, quae diſtentos vaſorum parietes lentius rumpit, & quidquid vitalis motus legibus non auſcultat, tranquilliori poteſtate ſeparat, & ſub effuſis, quae in pus coquit, perdita regenerat, nunc vero gangraenam naſci, quae ſubito ac violenter deſtruit, & omne opitulantis & coquentis Naturae auxilium eludit, abolitoque in partibus, quibus incumbit, omni vitalitatis veſtigio ad ſphacelum prope- rat, ſub quo ad oſſa vsque adfectae partes emoriuntur. In altero caſu ſcirrhum emergere liquet, in quo obſtructa vaſa cum impacto liquido extra vitale commercium haerentia non alio ad tempus quam inſueti ponderis incommodo geſtantur, at ſenſim mole ſua & adfri- ctu viuus vaſis per viciniam diſperſis moleſta, inter
nouae

nouae inflammationis furores in malignam canceri speciem degenerant.

Igitur non inuiti largimur, aliam exeuntis inflammationis fortunam vix solertissimi ingenii commento concipi posse, quam quae partem adfectam vel liberat, vel destruit, vel sibi relinquit. Neque id aegrius agnoscimus, traditos huc vsque inflammationis exitus dictorum vnum vel alterum praestare, resolutionem liberare, suppurationem & gangraenam destruere, scirrhum cedere hosti occupatas sedes. Attamen alias suspicor enumerari species posse, quae recensitis illis generatim conditionibus noua lege satisfaciant, quoties nimirum inflammata loca rigescere, vel etiam squamarum forma cadere obseruamus, quorum illud in rheumatismis, hoc in cutaneis malis, vt morbillis vel purpura, omnium se ingerit oculis.

Partem inflammata, quam rigescere dicimus, nec resolui nec destrui palam est. Maior cum scirrho adfinitas intercedit, nec ausim tamen ad illum ob insignem satis mutui discriminis magnitudinem referre. Scirrhus requirit locum, ad quam parua vis vitalis motus pertingit, maior enim resolveret in moderato adhuc gradu, vehementior destrueret. Hinc propriam maxime scirrhi sedem constituunt glandularum caui folliculi, qui ex hiantibus arteriolarum per latera decurrentium osculis paulatim admittunt secretum liquidum, sub quiete maiori facile in ficcioribus corporibus lentescens, tum maxime, cum emissariis vasculis obex ponitur. Neque illa calamitas aequae simplicibus glandulis,

dulis, quas oppletas & in ampullam tumentes audacter chirurgi incidunt, contenta exprimunt, & suppurando vel erodendo cauum folliculi consumunt, sine metu cancrisae malignitatis, quam compositis metuenda est, ubi lentum illud in multis folliculis colligitur, & morae ac lentoris in tam intricata vasorum compage maior opportunitas est. Si quae alia loca praeter glandulas scirrho sedem praebent, velut mammae, testes, hepar, lien & alia, certe eiusmodi sunt, vt quaedam fabricae similitudo respondeat, mora & collectio secretorum sit, obex in emissariis, & debilior semper a tergo motus. E contrario ille locus, qui inflammatus rigescit, vim vitalem acriter sustinet, & in vasis suis ac liquidis occallescentis immobilitatem quidem relinquit partis, a formidine tamen cancri, qua omnis scirrhus tenetur, alienam. Remigum inspicite manus, quas seruili operae nouiter admotas calere, rubere, dolere & ceteras crescentis sensim inflammationis notas habere reperies. Mox perenni remorum attritu adfecta solida cum fluidis suis densatis in vnam massam coalescunt, & ipso hoc coalitu progressum inflammationis sufflaminant. Haud illa infeliciū tantum hominum ratio est, quos ad subsellia remigum & durissimos labores sinistra fors & aliena faeuitia abiecit, sed & liberorum inter nos ciuium, qui ex opificii sui lege manuum pedumque ac reliqui corporis crebro ac violento ministerio vtuntur. Fabri, dum malleos strenua manu agitant, cursores, dum aspera quotidie itinera pedibus emetiuntur, non inter prima statim tentamina, quae moderari iuuenilis error nescit, impune tantam iniuriam ferunt. A prima mollitie ad callosum illud par-

illud partium robur, prae ceteris, quorum alia viuendi norma est, celerius quidem transeunt, at non facile sine crebris verae inflammationis initiis, quibus hanc ipsam opponunt, quae laborantium vasorum concretionem accelerat, iterati duri operis medelam. Non absimili lege, quantumuis inter lentiores gradus, in ipsa vitalium motuum sede rigescunt per aetatem fibrae, membranae, vasa, viscera, muscoli, coriacei sunt cerebri sinus, septum cordis cartilagineum, ossea ligamenta. Vis vitae maiora vasa, quorum latera minorum vasorum varia serie constant, continuo pressu distendens ibi terminatur, vbi minimum cauum & leuissima resistentia, adeoque maxima est concreescendi facilitas. Ita pedetentim maiora vasa, multiplici lateralium vasorum concretione aucta, & sub his spoliis fortiora metam senilis vitae constituunt, id est, ad illum soliditatis gradum enituntur, qui nulli amplius fluidorum impulsui cedit, adeoque vires cordis, languidius iam influentes, dum riuuli, qui vires dederunt, arescunt, ineluctabili necessitate opprimit, de quo aliis locis fusius dictum est. Sane cum in parte, quam haec vitae potestas compingit & consolidat, vasa vere obstruantur, contenta fluidiora dissipentur, crassiora haereant, & motus cordis a tergo virgeat, non haec mali conditio ab ipso inflammationis genio longe abest; at quia per gradus aetatum minus sensibiles ista contingunt, non tanquam inflammationis, cuius leuia initia facile negligimus, effectum consideramus, nisi tunc, quando vni prae aliis parti vis huiusmodi, quae ad coalitum ducit, subita ac notabiliore iniuria incumbit, & manifestam in parte coalita functionis laesionem, maxime
in

in secretionum & motuum negotio adparentem, relinquit. GALENUM non plane fugit nouus hic inflammationis exitus, dum carnosas musculorum partes in scirrhum indurescere docuit, sique idem ligamentis & tendinibus accideret, plus in medendo difficultatis esse submonuit. *a)* Improprie autem scirrhum vocat, *b)* qui harum sedium incola non est, haud soboles motus intensioris, haud leuiori quam canceri periculo minax, haud aucta & glomerata solida sed imminuta & ab infarctis attenuata comprehendens. Callosa rigiditas dicenda erat, quam in illa locorum, motuum & exitus disparitate cum scirrho confundet nemo, vel certe callosas a motu manus, ob communem duritiei notam, pariter scirrhasas, immo senile corpus merum scirrhum eodem iure adpellabit. Alio loco GALENVS ex erysipelate pueri refrigerato & adstricto scirrhusum in toto femore tumorem relictum esse scribit *c)*. Erysipelas vt manifesta inflammatio est minorum vasorum, ita horum cum contentis, quae frigus figere & adstringere coepit, concretio duritiem illam peperisse censenda est. Cuius rei luculentior ratio in rheumatismo elucet, in quo dolor fixus atrox periodicus, iuncturas artuum occupans, cum rubore ac humore loci ac febre sub initium

a) de meth. med. Lib. XIV. C. V. Edit. Iuntin. Cl. VII. p. m. 88. A. B. C.

b) vt scirrhum Hippocrates οἰδημάτων nomine complexus est, ita adhuc Galenus in vsu vocis admodum fluctuat v. meth. med. L. XIV. c. VI. lato nimis sensu ὄγκον σκληρὸν ἀνώδυνον nuncupans οὐ μὲν ἀνάσθητον. & l. c. L. II. C. 2. p. m. 9. E scirrhum inter nomina referens, quae nec locum nec causam exponunt.

c) Conf. meth. med. L. XIV. C. III. p. 87. E. vbi de erysipelate scirrhuso agit.

tium continua, sensim in contumacissimam partium rigiditatem terminatur. Diathesis in hoc morbo inflammatoria, quam vel sanguis e vena subductus, pleuriticorum similis, arguit, illos prae ceteris, quos magno corporis labore excalesfactos matutinum frigus corripit, grauitur adfligens in arteriis minoribus haeret, quae per tendinum & ligamentorum fibrillas vaginasque circa artuum iuncturas disperguntur. Igitur mirum non est, his vasis minoribus aestu laxatis, mox superueniente frigore constrictis, adeoque in functione sua deletis, articulum motu priuari, & concretionem adfectarum partium anchylosin nasci, e) nulli cedentem remedio. Haec in genibus, lumbis, coxendice aliisque locis, lumbaginis rheumaticae, doloris coxarii similis nomine, quotidie occurrunt medicis & crucem figunt. Non iam disputo, an hic decubitus sit febrilis materiae ad artus, sufficit ab isthoc decubitu, quo tamen non semper ad producendam rigiditatem in tanto domesticarum caussarum numero opus est, laborantes partes vere inflammari ac pedetentim rigescere. Quodsi itaque ad normam H. BOERHAAVI, qui exitum inflammationis in resolutionem, suppurationem, gangraenam ac scirrhum ad certas, quae praesagium firmant, solidorum fluidorumque condiciones restrinxit, f) hic no-

ster

e) *Ger. van Swieten comment. in Aph. 556. Boerh. T. I. p. 951.* anchylosin fieri inter alia docet post validas ligamentorum inflammationes, liquido stagnante, & cum vasis, quibus continetur, concrecente. Addit, hinc crebram arthritidem passis toties accidere artuum immobilitatem.

f) *Secundum aph. 386. 387. 388. 392.*

ster in rigiditatem exitus adumbrandus fit, rudiori licet manu & ingenio, his fortassis verbis non incommode fieret: si humor fluens blandus, motus tam externus quam internus incitator, materia obstruens lymphæ subacris tenax, vascula obstructa exilia angusta & sanguineis vt plurimum minora, ad organa imprimis motuum muscularium posita; fit coalitus partis laborantis cum quadam immobilitate, nouus modus, quo inflammatio exit in rigiditatem.

At & alterum spectemus inflammationis exitum per squamas deciduas. Has squamas in summa cute quaerunt, quam epidermidem vulgo vocant, & vt extremum corporis integumentum, sensus vasorumque expers & ipsa cute densius, ideoque longam aquae tepidae macerantis vim sine dissolutione sustinens considerant, natum iudice I. B. MORGAGNO *g*) ab aquae amnii in vtero, deinde ab aeris & ambientium rerum compressione, ex qua simul pronum sit intelligere, epidermidem ob resiccata pleraque vincula a cute facile diuelli, & ob nouas vires loca proxime contigua resiccantes rege-

- 2) *Adv. anat. II. animadv. III. p. 13. Edit. Patav.* In quo non modo non repugnat *F. Ruyschio*, qui ab extremis papillarum cutanearum finibus glomerari cuticulam censuit, *thes. Anat. II. p. 48. n. 6.* sed & sententiam illam per lacinias papillarum sub cuticula auulsa abruptas illustrat. Certe a partibus solidis cuti continuis nasci probabilius est, quam ab vngue quodam exsudante & iudurato ad exemplum exuiarum serpentum, quae pro humore glutinoso coacto habentur. Nam circumfundi eiusmodi glutem ad certae tantum crassitie terminos, durable esse contra actionem tot menstruorum, quae superficiem corporis adluunt, nec obstruere vias excretionis cutaneae, intellectu facile non est.

regenerari. Vt vero squamarum forma cadat, iis explicatu promptum est, qui duas epidermidis lamellas, externam tenuem squamosam, subiectam firmam & fibrosam, imo plures statuunt. Neque armato LEEVWENHOECKII oculo fides temere neganda est, qui epidermidem numerosissimis poris pertusam (patere enim & arteriis exhalantibus & venis resorbentibus, pilis, papillis & excretoriis glandularum ductibus debebant) iterata scrutatus opera vasis singulis imminentes triplo maiores, si cum meatu compares, squamas vidit, a) his quae in piscis inuolucro occurrunt, non absimiles, tenuiores tamen, quas nec WINSLOVIVS reiecit. Quodsi praeterea negari nequit, ubi cutis definire videtur, pergere epidermidem, in meatu auditorio, cauo narium & oris, labiis, palpebris, lingua, oesophago, ventriculo, intestinis, ne de viis aëriis, genitalibus aliisque dicam, ceterum conuenire luculenter cum externis, tegere papillas, corpus sub se reticulare comprehendere, & aequè in morbis cadere illud inuolucrum & renasci, haud sane angusta nimis sedes est, quae inflammationis desquamando terminatae exitum nobilitet. Non

- b) *Epist. physiol.* 43. p. m. 406. *Concl. Anat. & Contempl.* p. 205. sq. ubi squamam ut glomerem vasorum considerat, non secus in homine quam pisce vel ipso ligno. Depinxit easdem squamulas in *exper. & contempl. s. arcan. nat. detect.* p. 46. tanquam rotundas & tam tenues, ut 200 vel 250 arenula tegantur. Concludit, superiorem cuticulam plane ex squamis constare, idque nominis retinendum esse, quanquam squamae illae aliquot millenis vicibus minores sint squamis aselli, & haec plusquam centies minores squamis carpinis.

Non est, vt morborum illorum, qui huc pertinent, classes omnes nedum species enumerem, vel enim vna & altera reliquarum illustrat sortem. Morbilli, qui regulares quarto plerumque die praegressae febris, sub forma macularum rubrarum, pulicum morsibus similitum, latarum & racematim sensim cohaerentium, neque ad sensum tumentium, in facie primum erumpunt, mox ventrem & pectus, brachia & crura obsident, octauo circiter die euanescent, & loca ab iis occupata albicant, quasi farina respersa, ruptae cuticula per squamas secedunt, nunquam suppurantur. Sic maculae febris scarlatinae crebriores latiores rubentiores in cutem vniuersam emergunt, & post paucos dies cum desquamata cuticula anfugiunt, tam leui decursu, vt nomen interdum morbi iudice SYDENHAMO haud mereantur. Febres malignioris generis, sub calido inprimis regimine & cardiacorum fallaci fide puncta illa protrudunt parua, rubra, purpurea, liuida, nigra, petechiarum, purpurae aliisque infaustis nominibus nota, quae iam distinguere non vacat. Vt rubentium mitior exitus est, nec illis, quos iam recensuimus impar, ita cinereae, fuscae, liuidae, nigrae partis adfectae necrosin cum certo exitio relinquunt, nisi, quod raro accidit, partes mortuas & gangraenosas natum in ambitu vlcus a reliquis separet, tota ibidem cute cadente. Non attingo, quae interne fiunt, vbi toties in morbis grauioribus soluta villosa tunica intestinorum per aluum secessit, nunc crustulae similes ex arteria aspera eiectae fuerunt, quamuis cognatus prioribus morbi genius non nimis difficulter in illis internis epidermidis propaginibus ostendi possit.

Praestat inspicere, an talis per squamas secessus in morbis citra controuersiam inflammatoriis a resolutione, an a suppuratione, an a gangraena, an denique a scirrho deriuandus sit? Resolutio non est, quae nihil adfectarum partium separat & expellit, neque ex eadem ratione scirrhus, qui morbosum in sedibus suis figit. Etiam si vero vis illa desquamando separet aliquid manifeste, quod morbi impetum sustinuit, nec tamen puris nec ichoris praesentia suppurationis vel gangraenae vestigia prodit, neque haec quoties conspicua sunt, in ipso momento separationis, quemadmodum hic fit, omnem iniuriam suam finiunt. Quamobrem vero simillimum est, aliquid hic noui fieri, ut vasa cutanea inflammata fines ultimos infarctos excutiant, simulque a nexu cuticulae, ad quam exporriguntur, se liberent, ut necesse sit, utraque a commercio vitali separata cadere. Si satius videtur, ecchymosin aliquam, quae mutato effusorum colore hic sensim dissipetur, fractis vltimis vasculis concipere, etiam in hoc erit soluti nexus & cadentis cuticulae ratio, adeoque nouus omnino & in reliquis inflammationibus non ita obuius separationis modus. Scrupulum mihi ea de re dudum & ante triginta fere annos iniecit eximium Vratislauenfium Medicorum decus, IO. GOTHOF. HAHN, quocum mihi olim Lipsiae ut studiorum sic animorum summa coniunctio, quae recordanti semper suauissima est, intercessit. Is ex suo & optimi Parentis penu multas huius argumenti obseruationes suggessit, ex quibus haud temere conclusit, hunc nostrum, qui desquamando fit, inflammationis exitum, non adeo quidem obuium, at certum & a reliquis distinctum esse. Sunt inter illas obseruationes, quae comitis suppurationis

nis vestigia non vbiuis inficiantur, sunt quoque, quae altius aliquando latere malum ostendunt, quam vt sola summae cutis fata expediat, maxima tamen ex parte illud confirmant, peculiarem hanc esse separantis Naturae viam,^{a)} quam in praesenti vltius indagare & iustioribus circumscribere cancellis non permittit instituti ratio. Vocat ille, cuius his res agitur, eruditione & moribus suo merito commendandus medicinae Candidatus

DAVID

- a) Litteris Vratislauia Kilonium A. 1719. missis has ex Parentis sui longo vsu artis exercitatissimi obseruationibus promit: Nobilis virgo tumore colli laborauit, qui magnitudinem habuit oui galli Indici & colorem saturate rubrum. Sponte secessit totus & per lamellas. Idem puero contigit, quatuordecim annorum, cui tumor in media clauicula ad gallinacei oui molem emerferat, rubentissimus quidem & liuescens, at sub libi piperati massa sensim pellicularum forma abscedens, vt intra binas hebdomades totus absumentus esset. Puerperae cuidam, cum vigesimo secundo a partu die incisa vlcerosa vbera, crassam & copiosam saniem stilantia, exprimeret Chirurgus intempestiue sedulus, & totam exhauriret vberum substantiam, ipsius digiti mulgentes ex atro rubri & quasi emortui coeperunt lente decorticari, forma coagulati in contusis locis cruoris. Addit noster ex suis sequentia; Puer duodecim annorum exanthematibus miliaribus per totum corpus scatebat, praecedente frigore febrili & insequente aestu. Confluxerunt die octauo vel nono exanthemata, & in pectore ac sub brachio vlcera formarunt, toto iam corpore vi inflammationis rubente. Siccantium & antisepticorum vsu altero die vlcera fere exaruerunt, vnicum in humero dextro, quod citius prodierat, saniem adhuc fudit. Mox totum corpus exfoliari coepit exceptis artubus & capite. Vel sexies detracta pellicula est, & ceparum more ablata vna non defuit altera.

DAVID CHRISTOPHORVS SCHOBINGER

S. GALLO HELVETVS.

Cuius ad honores nostros adspirantis vitam laudabiliter & apud suos & inter nos gestam, verbis ipsius, ex more academico, qui potiora tantum studiorum momenta attingit, describam. Natus sum, inquit, Sancto-Galli Helueticorum A.S. cło Io ccxxvi. patre IO. BURCHARDO SCHOBINGERO I. V. L. matre IOANNA BARBARA GILLER. Omnem in eo posuerunt curam carissimi parentes, vt quoad sub eorum oculis versarer, a prima aetate purae religionis & bonarum artium praeceptis imbuerer. Patre optimo anno seculi trigesimo octavo ditionis Altenklingensis, in Turgouia sitae, quae ad nobilissimam *Zollicoferorum* gentem pertinet, praefecturam tenente Vitodurum Turicensium me contuli, ibidemque tres annos litteris humanioribus & philosophiae impendi, praeceptore & hospite vsus gymnasii rectore, plurimum reuerendo ERHARDO, cuius candorem & beneuolentiam sine grati animi testimonio hic praeterire, mihi omnino religioni ducerem. Vitoduro relicto ad optimos parentes redux in coepto studio perrexī, cumque annus seculi quadragesimus tertius meritissimum de me patrem praematura morte exiperet, urbem cum meis repetiī, & studio iam medico vigilias meas addixi. Qua in re venerandus auunculus, D. GILLER, urbis nostrae archiater suo me iuuit consilio, & ipse HELSTERI compendium anatomicum inter figuras optimas, recentiorum inuenta, & proprias, quas in calamus dictauit, adnotationes mihi curate exposuit, & aditum ad instructissimam bibliothecam suam concessit, plura etiam paterno animo praestiturus, si per amplissimam praxin licuisset. Eodem tempore, quo me ille aeternis nominibus sibi obstrinxit, pharmacopolia inuisi, & medicamentorum simplicium ac processuum chemicorum aliquam mihi notitiam parauī, adiuncta his Boecleriani operis lectione. Denique A. S. cło Io ccxlv. ea mihi felicitas contigit, vt ipso itineris duce & comite, illustri HALLERO in hanc Georgiam Augustam peruenirem. Magnificus tunc Academiae Prorector, G. G. RICHTERVS in ciuium academicorum numerum me recepit. Eundem praeceptorem habui in institutionibus materiae medicae, praeceptis formularum, pathologia & ferniōtica, Praxi medica vniuersa, denique in casibus elaborandis.

Illu-

Illustrem A. HALLERVM, cuius in me beneficia cumulatissime collata, cum pleno pectore condam, verbis exprimere non audeo, in anatomicis, physiologicis, chirurgicis, botanicis & historia Anatomes secutus sum. Nec parum profuit, excellentissimos viros, IO. ANDR. SEGNERVM in praelectionibus Physicae experimentalis, quibus bis interfui, & IO. GOTHFR. BRENDELIVM in collegio chemico, semiotica, methodo medendi, materia medica & institutionibus praxeos specialis audire.

His ille & studia sua & quibus ducibus profecit, ex lege inter nos recepta exposuit. Honores igitur medicos ambienti inter tam luculenta industriae suae, quae nobis quotidie testibus eluxit, documenta non potuit difficilis esse ad consueta examina aditus. In illis vero gemanum artis filium deprehendimus, neque an ad reliqua praestanda, quae in hoc negotio requiruntur, admittendus esset? vlla nobis dubitatio obhaesit. Ad publicum proinde conflictum sub moderamine illustris viri, ALB. HALLERI, consilarii aulae & archiatri regii, Medicinae Anatomes Chirurgiae & Botanices Professoris ordinarii, crastino die, qui XVIII. Maii est, proditurus dissertationem *de dignitate telae cellulosae in corpore humano* defendet praemissa lectione cursoria *de fistulis in genere*. Ex quo certamine cum laude ingenii redux ex manu mea accipiet, quae eius industriae & eruditioni debentur, honorum praemia. Haec ut praescitu & adsensu splendidissimi CANCELLARII, ac decreto totius ordinis medici fiunt, ita communi nomine PRORECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM, COMITES ILLVSTRISSIMOS, PROCERES VTRIVSQUE SENATVS GRAVISSIMOS, HOSPITES OMNIVM DIGNITATVM HONORATISSIMOS & inprimis GENEROSISSIMOS AC NOBILISSIMOS CIVES LITTERATOS observanter & humanissime ad hunc actum sua praesentia condecorandum inuito. P. P. in Academia Georgia Augusta die XVII. Maii A. R. S. clo lo CCXLVIII.

(L. S.)